UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

11. An Chirurgus expertus, dum medetur pudendis fœminarum in pollutionem assentire, poterit se tali periculo obiicere cum determinatione tamen non consentiendi? Idem quæritur de Parocho in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76432

Visual Library

ſentiendi in mollitiem. Hoc periculum non euadet ſi conducat ſocium; nam actus mere internos præſentium reuerentia non cohibet; quid igitur facturus eſt? an tenebitur ex cauſa neceſſaria ſe credere periculo formali?

10. In caſu poſito teneris ire ad talem locum in quo eſt periculum proximum, & teneris non te credere tali periculo, quoniam vtrumque ſimul potes facere, ſi addas voluntatem non peccandi, quam antea non habueras; aut ſaltem intenſionem, ſi ante remiſſam habueris; efficis enim quod non ſit proximum periculum, vbi antè fuit; & ideò illam actionem non ſolùm potes, ſed & teneris facere. Et hæc omnia docet Caramuel *vbi ſuprà* quæ ex eius mente dicta eſſe volo, ego enim affirmatiuæ ſententiæ adhæreo.

RESOL. XI.

An Chirurgus expertus, dum medetur pudendis fœminarum, in pollutionem aſſentiri, poterit ſe tali periculo obiicere, cum determinatione tamen non conſentiendi?

Idem quæritur de Parocho in confeſſionis fœminarum auſcultatione.

Et an quis poſſit accedere ad Infideles gratia illos conuertendi cum periculo peruerſionis?

Et an prædicando meretricibus cum periculo peccandi?

Et an poſſit, imo teneatur Pater alere filios ex concubina, qui nec ſeparari poſſunt à matre, & ſi periculum habeat lapſus cum concubina?

Et an liceat exponere ſe periculo certo, vel probabili peccandi ob bonum ſpirituale proximi? Ex part. 3. tr. 5. & Miſc. 1. Reſ. 3.

Sup. hoc pro Chirurgo ex lata doctrina reſ. præterita §. Ex his, ad medium, & infra in reſ. 13. §. Primo, & pro Confeſſario infra in reſ. 12. §. Hinc, vbi inuenies diſtinctionẽ, & pro vtroque in to. 1. tr. 4. reſ. 29. poſt medium, à verſ. Idem ſentio pro viris, & in to. 7. tr. 7. reſ. 10. §. Reſpondeo, ad medium, verſ. Quod §. Et pro equitatione contenta in hoc textu in reſ. ſeq. §. Hinc, ad medium, & infra in reſ. 13 §. Secundo eſt forem, & in to. 4. tr. 6. ex reſ. 18. lege doctrinam §. Sed in fine, & ſeq.

§. 1. AFfirmatiuam ſententiam docet nouiſſimè ex Societate Ieſu Caſtrus Palaus *in opere morali, t. 1. tr. 2. diſp. 2. punct. 9 §. 3. n. 11. & 13.* vbi ſic ait. Chirurgus poteſt verenda fœminæ curare cum periculo conſenſus, nec Parochus eſt obligatus deſerere officium, etſi experiatur voluntariè pollui occaſione deſumpta ex auditis in confeſſione; ſufficit enim ſi proponat ampliùs non conſentire. Ita ille, & ante illum Ioan. Sancius *in ſelectis, diſp. 21. n. 9.* vbi ita aſſerit. Parochus qui ex auditis in confeſſionibus expertus eſt in pollutiones conſentire, non peccat confeſſiones auſcultando, dum determinatus ſit non prolabi, quamuis eas auſcultet. Deinde Chirurgus qui pudenda fœminarum cauſa medendi videt, vel tangit, expertus illas concupiſcere, vel voluntariè pollui, ob illud periculum à curatione non tenetur ceſſare, nec peccat illi ſe committendo, dum determinat, ſic non peccare, quando partes illas videat, vel tangat. Vlteriùs qui pedeſter ambulare non poteſt, aut equitare, & ad eius honorem conducat, expertus tamen pollutioni ex eo obuenienti conſentire, non tenetur ab equitatione abſtinere, nec peccat periculo illi conſentiendi ſe tradendo, dum ſemper determinatus ſit non conſentire, quando equeſter agat. Et ratio, horum omnium eſt, quia quoties aliquis ex cauſa neceſſaria, vel vrgente ſe exponit periculo peccandi, non ob id delinquit, dum quando ſe obiicit tali periculo, determinatam habeat volũtatem non peccandi, cùm in tali caſu inuoluntarium ſit periculum. Ita Sancius.

2. Sed contrariam ſententiam, & meritò docet Villalobos *in ſumma tom. 2. tr. 40. diffic. 16. n. 5.* Leone *de officio Confeſſar. part. 1. recollect. 20. n. 73.* Megala *in 1. part. lib. 4. c. 4. n. 6.* Leſſius *lib. 4. c. 3. dub. 14. n. 98.* Io. de la Cruz *in direct. conſcien. part. 1. precept. 6. art. 8. dub. 8. dub. 9 concl. 2.* & alij. Et ratio eſt, quia ob nullam rem poteſt quis ſe exponere formali periculo peccandi, nam qui amat periculum, peribit in illo.

3. Non deſinam tamen hîc adnotare D. Thomam *in 2. 2. quæſt 10. art. 9. in fine corporis*, Salas *in part. 2. tr. 8. diſp. vnica, ſect. 5. n. 60. & t. 2. tr. 13. diſp. 6. ſect. 17. n. 105. & 106.* Sotum *de iuſt. lib. 5. q. 1. art. 6. in fine 2. concl.* & alios docere poſſe aliquem accedere ad infideles gratia illos conuertendi cum periculo ſubuerſionis, & ad prædicandum meretricibus cum periculo peccandi; quod etiam docuit Caſtrus Palaus *n. 10.* qui etiam addit, poſſe, imò teneri parentem alere filios ex concubina, qui nec ſeparari poſſunt à matre, neque alia via poſſunt victum quærere, etſi periculum habeat lapſus cum concubina; & faciant pro hac ſententia Sanchez *in ſumma t. 1. lib. 1. c. 8. num. 3.* Baſilius Pontius *de matrim. lib. 5. c. 35. n. 4* Freitas *in addit. ad tr. de confeſſ. ſollicit. q. 19. n. 17.* Sà *ver. peccatum, n. 6.* & alij aſſerentes, quòd exponens ſe periculo peccandi cauſa vrgente, non peccat, & ponunt multa exempla.

Quoad hoc in reſ. præterita, & in to. 4. tr. 6. ex reſ. 18. lege §§. not. 1. §. Similiter, & pro contento à lin. 8. huius §. in t. 1. tr. 4. reſ. 33. §. vlt. ad medium.

4. Verùm Lopez *in inſtruct. part. 1. c. 21. §. ad tertiam rationem*, & Petrus Lorca *in 2. 2. D. Thomæ ſect. 3. diſp. 29. n. 9.* & alij, aſſerunt non licere exponere ſe periculo peccandi certo, nec probabili ob bonum ſpirituale proximi; & ideo Suarez *de charit. diſp. 9. ſect. 2. n. 8.* ſic aſſerit. Sequitur contra Sotum, nemini licere propter aliorum ſalutem exponere ſe morali periculo peccandi mortaliter, ex illa regula Eccleſ. c. 3. *Qui amat periculum peribit in illo*; nam in moralibus idem eſt committere, & exponere ſe morali periculo committendi. Quod maximè verum eſt, quando periculum eſt in determinata materia, in qua aliquis fragilem ſe expertus eſt. Si verò in confuſo, non poteſt certa regula tradi, ſed pro ratione neceſſitatis, & periculi, penſanda res erit. Ita Suarez, quem ego ſequor, vnde cogita ſi opinio Baſilij Pontij, quàm *ſuprà in tr. 4. de Sacr. reſol. 269.* adduxi, ſit probabilis.

Sup. hoc in reſ. præterita ſignanter à principio, & in reſ. not. ſeq. & in to. 7. tr. 7, lege ex doctrina reſ. 20. §. Sed aliquis, & aliarum reſ. & §§. earum notationum.

Quæ hic eſt in tom. 2. tr. 6. reſ. 119. §. 2. ad medium.

RESOL. XII.

Quidam vir Nobilis comedens cibos calidos, & accubans in lecto incidebat in pollutionem, quæſiuit à me, an teneatur aliter decũbere, & cibos illos nõ comedere? Poterat enim ſine aliquo damno à ſupradictis abſtinere.

Et an Confeſſarius ex deuotione ſolum audiens confeſſiones expertus pollui, non tamen conſentiendo, an peccet confeſſiones excipiendo?

Et in textu huius Reſ. alij caſus & ſimilia exempla inferuntur, & explanantur, in quibus quis non peccat, quamuis præuideat in illis, & ſequatur pollutio, ſine tamen vllo periculo in illorum conſenſu.

Et tandem notatur, quod ſi aliqua mulier in Choreis publicis ſcit ſe tangi ab aliquo intentione mala, ſi tactus ſunt ex ſuo genere liciti, vt conſortio manuum in choreis, non peccat illos admittendo coram aliis. Ex part. 3. tr. 5. & Miſc. 1. Reſ. 22.

§. 1. QVidam Theologus affirmatiuè tunc illi reſpondit, & hanc opinionem docet nouiſſimè Fagundez *præc. 3. c. 6. n. 13.* vbi ſic aſſerit. Non probo opinionem aſſerentem non eſſe mortale comedere illa, ex quibus credatur ſequutura pollutio; modò illa in ſe non intendatur, niſi fortè loquatur, quando dubiè id credatur, aut quando non ita facilè poſſit eam cauſam auferre, ac remouere; nam aliter dormire non poſſit, quàm taliter accumbendo, ſi alios cibos non habeat niſi illos, vnde pollutio ſolet mortaliter contingere, aut ſi habeat, ſunt tamen tales, ob quos dolorem capitis, aut ægritudinem contrahat, profectò in meliori opinione non tenetur abſtinere ab illis, aut à tali modo accumbendi. Ita ille, citans alios Doctores, & alia exempla, vide etiam Azorium *part. 3. c. 24. qu. 7.*

Sup. his in tom. 1. tr. 4. Reſ. 37. §. Reſtat curſum in fine, & lege ibi doctrinam §. Vt autem, & alterius eius annot. & in to. 4. tr. 6. ex Reſ. 18. vide §. Similiter.

2. Sed contrariam ſententiam etiam probabilem eſſe puto, quam in terminis docet Sancius *in ſelectis, diſp. 21. n. 12.* ſic aſſerens. Accubantem ſic vel aliter, & ſentientem ſe ex tali ſitu in pollutionem venire in ſomno, vel in vigilia, dum abſit periculum conſenſus,

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. Tertio, & in

&